



De vita Pauli quarti pontificis maximi collectanea historica.

Opera et studio Antonii Caraccioli Clerici Regularis conquisita, digesta atque edita [...]. Qui una cum Paulo IV tunc Theatino Episcopo, Ordinem Clericorum Regularium fundaverunt, vitae, ab eodem auctore descripta, Coloniae Ubiorum, ex officina Ioannis Kinckii, 1612.

[pp. 130-144]

DE VITA DE PRAECLARA PAULI QUARTI

Pontificis Maximi Beneficentia e Liberalitate Pyrrhi Ligorij Testimonium.

Erat felicissima memoria Paulus Quartus Pontifex Maximus, tam propensa in nobiles quoscumque artefices voluntate, ut omni in eos liberalitate gratique animi testificatione uti semper fit solitus. In quare erat adeo ab omni vanitate atque ostentatione alienus, ut si qui quod in iis rebus, quarum desiderio tenebatur, aliquid praecleara ad suum sensum, ac voluntatem affecissent, ipseque, vicissim illos singulari aliquo beneficio asset prosequutus, ita id alios laetere voluit, ut neque eos ipsos gratias agentes libenter audiret, et verbis insuper, saepe etiam minis deterreret, ne quod ab ipso percepissent, id ullis unquam indiciis cuiquam patefacerent.

Memoria teneo Baptistam de Petra Sancta, cui Camera Apostolica stipendium annum persolvebat, cum Pontificis iussu columnas quatuor ex marmore Tiberiano viridis coloris permixti albo, et forma nova eaque perpulcra affinxisset, quas in altari Cappella quam Paulus aedificaverat locario portebat, non tantum iustam fui operis mercedem, sed etiam centum amplius aureis fummo gratuito percepisse, quam tamen ipsam donatione non ita multo post, alia auxit Pontifex uberiori.

Nam cum munus quoddam fere de ante Pontificem clauae quod octingentis aureis aestimari solet, morte fungentis ad Pontificem rediisset, non ad alium quam ad Baptista illud detulit, idque gratis et cum iucunda amoris significatione: nam postquam malas homini utraque manu leviter pressisset, frontemque asculatus asset, addidit dicens; Bono sis animo, atque a me in posterum ampliora expectato. Has columnas ex Cappella Pontificia, adeoque ex Palatio sublatus, Pius Quartus optimati cuidam dono dedit.

Mandaverat at Paulus Pyrrho Ligorio Sacri Palatii Architecto, ut daret operam archetypum ligneum ad figuram templi confici, ad cuius similitudinem aliud ipsemet argenteum formandum deinceps curaret, ut in eo Sacrosanctum Christi Corpus, quoties iter longius Pontifici faciendum erat, deferretur: fingeret praeterea laternas quasdam grandiores quae illud antecederent. Cumque lignarius in hacre (sicut at in similibus antea) luculentam et laudabilem suam operam posuisset, volens eum Paulus remunerare, praemium laboris constituit duo (ut com vulgo loquamur) Officia, Praesidis nimirum Annona et Militis Pii. Et quia renunciatum ei fuit, artificis opus illorum officiorum mercede longe superari, respondit, nos, quod ex aequo et bono, illius studio ac labori debetur, libentissime ei contulimus; quae autem superant, ideo illi volumus cedere, ut nobis deinceps aliis in rebus ae qua

cupimus, et qua par est, cura ac sedulitate inserviat. Deinde vero ipsi lignario gratias multas agenti, non solum quod tanto beneficio eum ornasset, sed etiam quod operis pretium (quod alio tempore non solet sine nonnulla molestia ac procrastinatione pendere) tam cito persolvere curasset, benignissime respondit: Existimare se, muneris sui in primis esse, operam bene ac diligenter sua causa navatam pari celeritate compensare, et quod ultra, quam erat debitum adiunxerat, velle ut id totum ab illius bonitate agnosceret, qui est, atque erit sempiternus remunerator, quique suae misericordiae exemplo docet in omni creatura adhibendam esse misericordiam; quare tu, inquit, filiique tui Sancto eius nomini hoc acceptum feretis, Deumque orabitis benefactorem, ut, quod nobis potissimum conducat, id clementer concedat. Sed ante omnia cavete, ne de hac re verbum.

Ioannes quidam scriptor graecus in pervigilio Sancti Petri obtulit ei Sacra Christi Evangelia, tam accommodata symmetria elegantique characterere graece conscripta, ut admiratus Pontificisque mirifice delectatus, primum Deo optimo Maximo gratias egit, cuius benignitate tantam in Christiano scriptore praestantiam comperisset, deinde praecepit ut liber ille (est nunc libellus iste in Bibliotheca Canonorum S. Petri) operculo pulcherrimo (quod, phrygio acu infignitum, margaritisque ac gemmis contextum a Principe Doria paulo ante acceperat) inclusus, in scabello prope capsulam (in qua pecunias ac secretas eleemosynas destinatas servabat) collocaretur.

Inde vocato ad se Ioanne atque extento supra scabellum sudario pergrandi (tali enim uti solebat) tantum nummorum in illud imposuit, quatum ex capsula, coniunctae manus unica compressione extrahere poterat, sicque in gyrum complicatum sudarium propriis manibus in Ioannis sinum intulit.

Ioannes vero qui ob alia plurima percepta prius ab eo beneficia, se devinctissimum sentiebat, de nihilo minus quam de huius modi praemio cogitabat. Quare veluti re inopinata percitus, dum se parat saltem gratias habere, praeventus a Pontifice est: qui digito ori admoto, silentium omnino illi imposuit. Deinde ordiens ipse loqui, dona eius modi, inquit, esse oportet, ut neque is qui ea percepit, inde invidiam contrahat, neque, Princeps, qui confert, charitatis praesertim intuitu, talem admittat in se gratiarum obligationem, maxime ab iis, quos ex miseris eripere, et suis sublevare facultatibus aequum esse sibi statuatur. Postquam Pontificis cubiculo exierat Ioannes, nihil illi longius videbatur, quam dum aurum, quod acceperat, videret, secedensque cum solo Pyrrho sibi amicissimo, in cellam propter Pontificis Cappellam, aureos nummos quingentos numeravit.

Et quia sudarii mentio facta est, addamus etiam hoc. Alterum simile sudarium aureis plenum, dedisse Pontificem huic Rugerio Cursori, eo quod conquestus esset, non habere se tantum in bonis, quod foret satis (etiam si totum dotibus distribueret) multis, quas susceperat filibus, elocandis.

Accidit forte per eosdem ferme dies ut Prothonotariatus officium quod Participantium vocant, luculenti sane redditus, vacare contigerit. Quo audito, Pontifex probe quibusdam mandat, ut nulla interposita mora ubi, ubi esset Guilielmus Syrletus (tunc Bibliothecarius Palatinus, nunc Cardinalis) investigarent, et ad se adducerent, velle enim et commodum illud, et honorem primo quoque tempore in eum conferri.

Pari itidem modo cum aliud mox eiusdem generis officium alienandum occurrisset, Ioannem Franciscu Sansonium delegit, quem singulari illa liberalitate sibi devinciret. Praeterea Camerae Apostolicae clericatum, qui magni aestimari solet; D. Bozzuto gratis coecessit.

Verum quia aliena haec sunt ab iis muneribus, quae opificibus in sua arte excellentibus solebat distribuere, ad ea convertamus orationem nostram, quibus fabricatores, caementarios, et lapidas suos compensabat. Duobus enim ex his, quorum diligentiam probaverat, postea quam ad denarium, omnia, quae collatis hinc inde rationibus, deberi illis ab Apostolica Camera constaret, persolvi curasset; ipsemet praeterea eorum singulos singulis donavit officiis.

Habebat penes se arculam eburneam affabre certe et singulari artificio factam. Huic Christophorus quidam Germanus saeram aptaverat at tantae parvitatibus, ut humani unguis magnitudinem haud multum excederet: attamen confertam tam multis machinis atque obicibus, tantae tenuitatis, gracilitatisque, ut cum summa admiratione intuentes afficerent, tum omnem quasi oculorum aspectatum non obtusum quidem, sed acutissimum, ita fugerent, ut nec Lynceus ille ex Argonautis, nec qui Iliadas Homeri iugladis unius putamine conscripsit, dinumerare illa, aut a se inuicem distinguere ac diiudicare potuisset. De huius ergo peritia, et in arte sua excellentia, eam voluptatem coepit Paulus, ut illi (admonito prius ut ad se alio tempore minus impedito rediret) numerari statim aureos vigintiquinque publice iusserit. Deinde vero post aliquot dies reverso, tantum auri impertivit quantum una manu tollere e capsula sua potuit.

Iterum cum Pater Hieremias ex familia Conventualium, quos dicunt Sancti Francisci, Numisma quoddam plumbeum, quod in eius manus pervenerat, Christique, Salvatoris nostri faciem pulchre repraesentabat, ad Sua Sanctitatem detulisset, donatus ab ea centum aureis laetus discessit. Rursus haud longo intervallo idem Hieremias cum alterum egregium. Numisma D. Petru exprimens, eidem abtulisset, tot numos aureos domureportavit, quot Pontifex uno pugno potuit coprimere. Interrogatus igitur Hieremias a Pyrrho Ligorio si ad animi sui sententia natura ac liberalitas Pontificis satis respondisset, haec subiunxit, Pauli Pontificis dona pergrada esse, sive illa ad numerum sive fine numero penderentur: Excedere[...] aestimatione bis tantum, et ultra. Ex quibus verbis colligens Pyrrhus summam pecuniarum quam perceperat Hieremias, superaddidit, ergo accepisti pro effigie Christi centum nummos; pro illa vero Petri bis centum. Assentit Hieremias, utrasque summas ad tercentum et decem aureos ascendisse.

Pyrrhus Ligorius Sanctissimi Paesuli exhibuerat lineamenta cuiusda Tabernaculi, quod in ipsius Cappella ad Sacramenti Eucharistia custodia super columnas illas quarum ante mentione fecimus collocari debebat.

“In cuius circulo circumducta vitis divina representabat eternitate, vitisque palmites, fideles omnes, qui sunt Iesu Christi Salvatoris nostri germina: Exprimebatur etiam humanitas eiusde Salvatoris a natiuitate usque ad passionem et resurrectionem suam. Deinde Apostoli duodecim apparebant quasi columnae firmissimae et custodes Sanctissimi Corporis Christi: Hic eminebat Sanctissima Trinitas cuius infinita sua pietate: Illic Cherubini inter faces supra candelabra accensas, circuibant loca templi

rotundi, [...] complectebatur universum Orbe, expletum et cumulatu divini Motoris opera: quinimo et coelum ibi stellis, ac splendore illustratum manifesto cernebatur. Primam hanc delineatione ipsamque Pyrrhi inventionem adeo probavit piissimus Pastor, ut illud Tabernaculu, quasi exemplar voluerit proponi, ad quod reliqua omnia per Urbis Paroecias, tabernacula fabricarentur. Quocirca vix iam primum inchoauerat Pyrrhus Archetypum eius ex caera confingere, cum Paulus mandauerat mille nummum ad illum de ferri, cui iterum, ac saepius postea dixit, quod iam dederat, arrham tantum, ac praeludium esse eius, quod dare ei constituerat. Habere nempe se (ut eius verbis utar) in manica sua Officium tale, quod in posterum tempus, omni illum cura, molestiaque liberaret. Haud enim convenire, ut Architectus Christianus et talis (qualem eum esse ipse optime nosset) necessitatis cussa alteri o aliquando Principi servire cogeretur. Idem dicere solebat Pius V P.M. profusa etia liberalitate Princeps.

Cum die quodam Religiosissimus iste Praesul, qui dies noctesque dere Christi et Religionis cogitabat, sermonem instituerat de ornatu tabernaculi illius, quo Christi Corpus in solemnibus publicae supplicationis festoque die deferri ex consuetudine debebat, ac typi aliquot in medium proferrentur, illud in primis placuit, ut ad vitis speciem exornaretur, cuius racemi smaragdis ac saphyris, folia ex auro integro et puro intexerentur. Unde prolato canistro, quod in suo cubiculo custodiebatur, eduxit eo inter alias res charas, quae ibi adseruabantur, numismata quaedam aurea, in quibus erant et Traiani Imperatoris, dicens; hac forte in nostros usus non male transformari possunt.

Tum Phyrus cui res antiquae erant cordi; rectius, inquit: ni fallor, faciet Sanctitas Vestra, si, quae Traiani sunt, sollicito custodiat, fuit enim Princeps ille in Christianos mitis ac benevolens, et vir, ut inter infideles, summae pietatis, adeo ut universo Italiae populo simul ac semel victum vestitumque ministraverit.

Ad cuius similiter exemplum Annia Faustina Augusta, magni illius Antonini Pii uxor, omnibus Italiae nostrae (caeterarum certe Provinciarum Reginae) puellis dotes alargita est: unde cognomen adhibitum, Faustianas illas puellas celebravit. Quarum rerum mentio cum in pii Pontificis mente altius insedisset subinde dicere solitus est: Tu mihi Pyrrhe in aure, quod aiunt, pulicem.

Et enim augustissimus Pontificis animus horum memoria vehementius comotus, nullo sibi modo poterat satisfacere, nisi heroica hanc Principi infidelium beneficentiam, ispe, sommus Christianae Religionis Antistes, aliqua insigni et vere Christiani pietatis opera aemularetur. In has igitur voces prorumpebat nonnunquam; et nos hoc anno, ante quam octobris mensis fuerit elapsus, centum aureorum millia in eos distribuemus qui tale quicqua nec a nobis expectant, nec facile credunt. Neque profecto tres iam integri ab eo tempore menses exierant, cum illi santi magnum auri cumulum ad id quod animo suo destinaverat, coacervasset. Sed morte praereptus ante finem Augusti e vita cessit. Pecuniae autem illae in bonum pauperum congregatae, sedis vacantis sumtibus sunt addicta.

Assumpto in eius locum Pio Quarto, simulatque manus ultimo imposita fuit: tabernaculo illi imperfecto adhuc (nondum enim eas fusum in illius formam abierat) illud Pius, ut in Principe Ecclesia Mediolanensi collocaretur, concessit, atque ut eo quam primum transferretur curavit. Munus

certe non cotemnendum, et tanta Ecclesia dignum, in quod explicatis omnino rationibus, constat non pauciora, quam quinque aureorum millia fuisse insumpta, ut de reliquo, quod privatim eius Tabernaculi fabris largitus est Paulus, taceamus. Haec sunt quae Pyrrhus Ligorius familiaris Palatii Pontificii Architectus, qui praesens ea optime noverat, de eximia in hoc genere Pauli Quarti charitate animadvertit. Quin et simili modo alios infinitos suae liberalitatis fontes permanesse, no est quod quisquam dubitare possit. Nam pro certissimo est, sex aureorum millia, quae singulis mensibus ad eum delata per Datarium fuerant, plerumque omnia occultis ac privatis eleemosynis in homines indigentes et virtute praeditos fuisse collata.

Huc usque ex Pyrrho. Porrò quod attinet ad sacra e vetusta Numismata, cum vulgo notum esset, iis apprime delectari Paulum Pontificem, pertentavit aliquando quispiam adulterinis Petri Apostoli Nummis, veluti nuper in area Basilicae Vaticanae, sub terram repertis, profusam eius beneficentiam dolo malo in se derivare. Sed non successit, ut putarat. Nam fraus simul e cognita, e reiecta est.

Caeterum, quod Paulus neq; fui unqua tenax, neq; alieni fuerit appetes, diferte Onuphrius memorat his verbis: quae, quod huc faciunt, his quae Pyrrhus dixit, attexere non gravabor.

Pecuniae Paulus minime cupidus, Clericatus, Secretariatus, et Protonotariatus magni pretii Officia liberalissime donabat.

Osio antiquo familiari Datario declarato (quem postmodum suffecto illi Francisco Episcopo Gebennensi, magistratu amovit) Datariatus redditus suspendit, eumque se vere admonuit, ut nihil pecuniarum pro impetrandarum rerum, quae concessione parum dignae viderentur compositionibus acciperet; quodsq; a Cardinalibus nonnullis, quibus id munus demandaverat, quae illicita essent, corrigeretur: ratus scilicet multum nummorum in eo Magistratu contra ius cogi. Complures igitur super ea re egregiorum Theologorum ac Iuris consultorum responsa audiit; an videlicet, eius modi pecuniarum solutiones, quae Compositiones vocatur, legitimae essent, et a sponte offerentibus licite capi possent. Dum omnium sententias audit, graviter aliquando in eos invectus est, qui accipiendas probarent, ab omini avaritia alienum animum prae se ferens.

Urbis penuriam, quae molestissima incesserat, bis levavit; semel ante quam bellum cum Hispanis gereret, iterum, sedato bello. Antea enim ad sublevadam annonae caritatem triginta millia aureorum censum instituit: cuius fideiussioni bona domus Hospitalis Sancti Spiritus subiecit, qua pecunia frumentum inopi plebuculae pascendae compararetur. Postea vero, Alteram urbis egestatem, quae proximo bello invalverat, magno pietatis exeplo levavit. Triticu namque octonis aureis pro Rubro emptum, quinis plebi vendidit, qua liberalitate quinquaginta millia aureoru absumsit. Haec ille. Ex quibus apparet verissime ac lepidissime dictum de Paulo, illum nemque timorem unquam neque auritiam sensisse.

Egregia vero eius liberalitas eo fuit iucundior, quo praeter spem aut expectationem inopinato ingerebatur. Id solum modo Paulus spectabat, ut ea in egenos meritosque promanaret. Hoc modo Antonium Augustinum, Ugonem Boncompagnum, Bernardinu Scardaeonium, Jacobum Hercolanum, Franciscum Sonnum, Joannem Gropperum, Guilielmum Peytoun, Stanislaum Hosium (quos



viros?) honoribus auxit. Guilielmum vero Sirlatum, de quo Pyrrhus Ligorius breuiter retulit, tota urbe conquisitum, cum in Lateranensi Basilica, quam ille pietatis ergo invisere singulis solebat Sabbathis, Pontificis Cursores reperissent, non modo nescium futerae provectionis, sed improvise supremi mortalium vocatu non nihil etiam territum, Pontifex cum eximiis ante laudibus extulisset, protonotariu renuntiavit: postea et Cardinalem creaturus, si mors, ea quae egregie coeperat, aut concoeperat, suisset absolvere. Itaque ex his liquido patere arbitror, Cosilio illum (ut cum Seneca dicam) tribuere solitum, non casu et impetu spargere. Hunc promereri, illi reddere, huic succurrere, huius misereri, illum instruere; dignum scilicet, quem non diduceret paupertas, nec occupatum teneret: quibusdam offerre, quibusdam etiam inculcare. Quemadmodum Groppero fecit, quem honores summos detrectantem, et Purpureum pileum remittentem, Romam accivit, ut quem litteris non inflexerat, facundia emolliret, vel auctoritate cogeret. Itaque itineri se extemplo ille dedit; sed vi dirae aegritudinis interceptus, Romam semimortuus intravit, ubertim coplorante Pontefice, bonisque; omnibus tati Viri obitum, qui paulo post in urbe contigit. Pauca hec ex plurimis huc adduxi, ut pala fieret, Liberalitatem Pauli extitisse eiusmodi, qualem Stoicorum ille disertissimus [...] probat, scilicet quae numquam in turpes indignosque impingitur: nec unquam ita defatigata est, ut non quotiens dignum invenerit, quasi ex pleno fluat.

[Trascrizione a cura di F. Bertini (Università degli studi di Roma "Tor Vergata")]